DISPUTATIO MEDICA

DE

RUBEOLA.

AUCTORE GULIELMO P. HODGE.

PRAEFANDA.

Plurimum inter medicos fuit disputatum, necne auctores Graeci, in libris de re medica conscriptis, hic illic notas *rubeolae*, *variolae*, et *scarlatinae* proposuerint. Complures medici, imo vero pars major, levissimum superesse documentum negant, unde antiqui eos morbos cognovisse judicarentur. Alii vero contendunt, ex Hippocratis, Galeni, praecipueque Herodoti scriptis patere, haec cutis vitia eos non

penitus latuisse: hos enim auctores claros persaepe multa valetudinis adversae indicia passim descripsisse, vix aliorsum referenda. Pluribus rationibus hanc sententiam firmare conati sunt; quae nobis tanti esse videntur, ut istae lites jam compositae existimentur, necne, jure ni fallor statuere liceat, "that the diseases of mankind, like their physical and moral constitution, have not undergone any great and unaccountable change; and that the eruptive fevers have prevailed from the earliest ages *."

Rubeola pestilens est morbus; id est, contagio, cujus ipsa genetrix est, in populum dispergitur; et ex febre ardente, notis *catarrhi*, cuteque papulis efflorescente constat. Certa fere lege temporis servata, cutis diebus paucis postea efflorescere coepit, quam febris et *catarrhus* prodierint; quae nihilominus, quam antea, saevire perstant; et cute deflorescente, quoque inclinari, et demum abire, solent. Quibus exactis, aeger vires integras, et valetudinem optimam brevi

* Vid. Bateman Cutan. Dis. p. 68.

recipere consuevit. Plerisque aegris octo vel novem diebus *rubeola* cursum explet; et lenior graviorve incumbit, pro anni tempestatis, coeli, aetatis et corporis ratione; et quae sunt his similia. Aestate mitior periculo saepius vacat; quod si hyeme media grassatur, potiusve a mense Januario ineunte ad Aprilem aut Maium, febrem incitatiorem sibi praefert, et impetu acriori pulmoni inflammationem minitatur. Hac tempestate longe plures, quam alias, aggreditur; et nonnullos admodum plectit, in summum discrimen illatura; quod uti interdum morbi ipsius saevitiae omnia medicinae auxilia devicturae debetur, ita persaepe curationi parum idoneae tribuendum est. Unde mala exitiosa partium interiorum, quae vernaculo sermone "Dregs of the Measles" vocantur, enascuntur. Quosdam sane jam desitura subito enecat, aut sensim et lento passu eo labefactat et resolvit, ut alvi fluxu diutino, aut febre *hectica* sola confecti, succumbant. Saepius tamen *rubeola* ipsi vitae perniciosa non est, nisi anni tempestas minus salubris eam malig-

niorem redderet. Aprili vel Maio finito, rubeola quiescere incipit; et non nisi perpaucos subinde reliquam anni partem adoritur. E causis propriis tamen, sub ulla tempestate vulgaris exardere potest: hyeme equidem et vere saevissima urget.

Auctores medici *varietates* plerasque *rubeolae* memorarunt: nempe rubeolam *vulgarem*, sine *catarrho*, et *nigram*. Interdum angina, vel notae inflammationis malignae in faucibus ei accedit; quae, ut videtur, fortuito accidunt, nec proprie ad hunc morbum attinent: perraro enim observantur, vel cum vulgaris per populum disseminatur; et ratione loci, squalore, victuque parco exoriri videntur.

Ea, quae *vulgaris* nominatur, omnium est creberrima; et rarius amplius semel eidem corpori contingit. Non desunt equidem ejus recidivae, gravissimaeque, omnibus nimirum signis instructae exempla; medicina enim praecepta et leges perpetuas non habet. Hoc tamen de *rubeola* praedicari potest; eam valetudinem corporis in tantum mutare, ut non

deinceps, admota causa, renatura sit. Infantes prae aliis ei patescunt; eo quod sentientes et irritabiles facilius, quam adulti, noxa quavis illata laeduntur: quinetiam, quia non nisi semel in decursu vitae in eam incidere possunt. Tenelli, qui jam uberibus maternis aluntur, paulo minus his subducti opportuni sunt. Adulti fibra motrice irritabiliore instructi, proxime infantes ei objiciuntur: aliis contagio *rubeolae* genetrix, non eam inferre potest, nisi valetudo prius adversa operam huc contulerit. Perpaucos insuper non omnino inficit.

Hic morbus, *catarrhi* expers, corpus nequaquam futurae accessionis *rubeolae vulgaris* immune et securum reddit: imo vero paucis diebus haec illum excepit, et acerbissima.

Denique, *rubeola nigra* est ea, cui cutis rubore purpureo striis flavis sparsim misto obducitur. Plures dies perstat, notis gravioribus vacua; et, perito ministrante, aeger facile sanatur.

Cullenus morbum propositum satis lucide definivit; cujus verba notissima citare vix opus est. Scire licet Villanum *rubeolam variolodem*,

quasi *speciem* propriam, rejicere. Nec sane CULLENUS aliud sensisse videtur, etiamsi hanc *speciem* subjecerit.

Auctores progressum hujus morbi triplicem esse proponunt. Primam partem vocant, quae cute nondum rubente, febre et membrana *mucosa* inflammata, insignitur: secundam, qua cutis papulis efflorescit: tertiam, qua papulae in squamas abeunt, et mala inclinantur. Harum omnium notae plurimum variant, prout febris ardens aut maligna, vel *typhus*, subesset. Unde *rubeolam* in benignam et malignam diducere licet. Benignam voco, cui notae *typhi* et corporis ad putredinem proclivis, desunt; quamvis indicia vehementiora urgeant. Haec praefatus, ad signa memoranda transibo.

DE SIGNIS.

Die circiter quarto decimo, vel quinto decimo, post contagium illatum, vel interdum citius aut serius, vires languere incipiunt, cibi fastidiuntur, angor vultu insignitur, membra frigent et inhorrescunt, et homo inquietudine jactatur. Postridie his signis ingravescentibus, corpus vicissim frigore obriget, et incalescit: facies simul rubescit, vertigo vel gravitas capitis, et interdum dolor hebetior supra oculos, urgent. Adsunt quoque nausea, virium resolutio et dormiendi cupiditas. Arteriae celeriter et inaequaliter saliunt; interdum dorsum et lumbi dolent. Die tertio, febris increscit, fauces exasperantur, lingua inalbescit, et urina parca et rufa redditur. Aeger crebro sternuit; humor acer e naribus stillat: oculi porro rubent et illachrymant. Vox rauca editur; et tussis molesta sputi expers ani-

mae fistulas irritat. Eodem die vespere, vel die quarto, anxietas augetur; cutis magis calet; et nausea eo procedit, ut aeger evomat, aut certe evomere nitatur; vel sensus ponderis circa praecordia vexet. Dein frons aut ima pars menti efflorescit, et inde sensim facies pene universa. Rubor initio minus satur est; at gradatim laetior fit, et papulae tandem discretae percipiuntur. Quinto die vultus colore ruberrimo efflorescit, qui ad cervices et pectus illico spargitur. Eodem die advesperascente, truncus corporis ubique rubet, et paulo postea artus omnes. His tamen papulis minus evidentibus contingunt quasi maculae ampliores, nec clare invicem diductae. Die sexto facies deflorescere coepit, rubore simul alicubi increscente. Eodem tempore, fauces maculis exiguis et purpureis obteguntur, quibus fortasse debentur tussis nunc acerbior, faucesque tenerae et dolentes. Quibusdam cutis pene universa tingitur; aliis papulae minus crebrae, candore interjecto apparent, praesertim infantibus. Aliis, paucioribus sane, levissime

cutis rubescit. Morbo jam inclinato, quodammodo flavet, prurit, et quandam aspredinem sibi praefert. Demum cuticula in squamas perexiguas abitura evolvitur. Die nono aut decimo, vitium cutis ubique pene evanuit.

Si paulo acrius cutem *rubeola* tinctam inspiciamus, complura quasi puncta rubra et minima patent, quae sic coire videntur, ut acervos oblongos conficiant, figura abnormi, et inaequali margine donatos. Plures ex his invicem sociati huc et illuc undique feruntur : alii semilunares inter se disjuncti extant, cute sana interjecta. Aliquantum summae cuti supereminent, qui faciei et pectori insperguntur ; hoc tamen nisi manu tangente vix deprehenditur.

Aliter atque *variolae*, febris morbo proposito nihil fere cute jam rubente mitescit. Quum vero medicinae praecepta perpetua desunt, interdum, at perraro, penitus eo tempore decedit. Longe saepius febris non prius inclinatur, quam cutis in squamas abierit ; imo vero diutius permansit.

Primo vel secundo die e cute rubescere incipiente, arteriae crebro et valide saliunt; spiritus aegre et aequo celerius trahitur et emittitur, et tussi plurimum turbatur. Lingua paulo humidior, at sordet, et subinde quasi crusta obducitur. Hucusque aeger sternuit, et oculi illachrymant. Sitis urget, et cibi fastidiuntur.

Alvus continenter, nisi ad finem, torpet: infantibus equidem aliquanto citius profluit. Urina excernitur rufa et crassa, et febre decessura flavet; et ex ea subsidit crassum, lateribus tritis consimile. Dormiendi cupiditas, et aliquid stuporis semper, dum rubor perstat, adsunt; et quibusdam hunc morbum clare aliunde dignoscere videntur. Infantes interdum alte stupent. Vespere hae notae exasperantur; et, ut noctu vigilet infelix, efficiunt. Si quis tamen quiete satis bona fruitur, et mane insudat, inde multum expediri solet. Simul atque tota cutis erubescere coeperit, conquiescunt fere nausea et vomitus: et si mala rite curantur, ardor febricula et inquietudo,

cute deflorescente, mitescent, die nimirum sexto septimove. Eodem tempore abeunt distillatio et gravedo; oculique illachrymare cessant; et cute in squamas abitura, tussis, vox rauca et febris sensim evanescunt. Cibi iterum appetuntur; et ne multa, nihil mali, nisi virium resolutio, cito tollenda, superest.

Nisi alvus medicamentis probe solvitur, nono decimove die fluere incipit: quod, ni acriter aut diutius exerceat, juvabit; sublatis nimirum sordibus, quae si intus haererent, gravi fierent irritamento, febrem producerent, et vires labefacerent. Hic alvi fluxus nequaquam protinus cohiberi debet: expectandum est, dum noxas irritatrices funditus expulerit. Quod tamen simul atque fecerit, arte continendus est; quippe qui nihil boni, et procul dubio plurimum mali tunc molietur. Optimum est, uti opinor, ut, alvo antea probe expurgata, hoc nixu naturae ad finem non opus sit.

Cursum igitur propositum *rubeola* plerisque sequitur. Nonnunquam autem abnormis saevit; de qua pauca conscribam.

Jam antea notavimus febrem non raro, rubore veniente, increscere; quod idem de pulmonis malo praedicandum. Oculi saepe gravius inflammantur, lucis quam minime patientes. Palpebrae aliquando eo intumescunt, ut aeger pene obcaecetur; vultus turget; et saepe aures et caput acute dolent. Cutis simul exardet; imo vero delirat homo. Anhelitus incalet, et difficulter trahitur et emittitur; arteriae motu duro et incitato exagitantur; et parum abest quin pulmo inflammetur: quod sane non, nisi sanguine tempestive misso, praecaveri poterit. Sanguis sua sponte e naribus fluens interdum quoque hanc inflammationem praecavit. Quibusdam, imperito curante, fistulae pulmonis eo pituita obturantur, ut vix omnino spiret miser, et angor quaesitissimus torqueat. In hujusmodi exemplo, artus nonnunquam frigent; tussis simul molestissima nihil excreat; motus arteriarum vix sentitur: demum purpurascunt labia; cruor livens extussitur, labuntur vires, et aeger succumbit.

Si contra febris et pulmonis mala ab ipso initio leviter premunt, certeve aliquanto postea mitigantur; si alvus biliosa, viribus non lapsis, aliquanto solutior est; si pituita ex facili excreatur; si spiritus expeditior est, et summa cutis humet; si cutis nec diutius rubere perstat, nec maturius deflorescit; si, exacto die septimo, papulae pene abierint; et exinde cutis in squamas desinit, omniaque mala decedunt; aeger est in bona spe, nunquam fere non ad salutem rediturus. Scire tamen licet neminem *rubeola* implicitum se jovi frigore et imbribus malo impune committere posse.

Nonnullis acerbissimae mali jam ineuntis notae contingunt. Quae quanto fuerint saeviores, tanto fere graviora sequuntur mala: hoc vero perpetuum non est. Aliis contra notae primae tantulae sunt, ut vix homo prius aegrotare visus sit, quam cutis erubuerit. Hi raro gravi discrimine versantur, nisi profecto *rubeola* simul per vulgus saevior grassetur, et inde malignam sibi speciem induat. Interdum eo insidiatur, ut spem medici acerrimi ludat,

et subita inflammatio pulmonis die circiter septimo parum antea affectum corripiat, et ocissime enecet. Tussis crebra et sputi expers infanti initio contingens caetera mala nunquam non exasperat. Pejus est, si eadem jam dentientibus accidit; inde enim artus crebro velluntur. Non infelici notae per se habenda est tota cutis saturo rubore florens: is vero non tutus est, cui vel rubor non aequaliter toti corpori subest, vel cutis laevius inficitur. Hoc alvo vehementer fusa fere enascitur. Quoties aut frigus aut dejectio alvi acrior ex improviso ruborem fugat, metus nunquam deest. Humoribus enim intus impulsis, anxietas, delirium, spirandi difficultas, tormina, et alvi resolutio superveniunt.

Jamjam notavimus nonnunquam febrem sibi *typhi* formam plus minusve praeferre. Paulo rarius equidem hoc testari licet. Proprium est hujus morbi, ut validos et plenos, et frequentius frigido et humido jove, exerceat. Fieri tamen potest, ut locis gravibus, autumno, coelo calidiore, humido et vario, corpora debiliora im-

plicet; quae facile febris rationem mutabunt. Nemo medicorum ignorat, quantum eaedem causae omnibus adversae valetudinis generibus moderentur. Cutis, ubi maligna subest *rubeola*, maturius, die nempe secundo, erubescit; vires languent animi et corporis: arteriae citius et languidius micant: interdum fauces angina, non ei *malignae* dictae absimili, corripiuntur. Si, cute jam papulis obducta, febris saevit, cutis incalet et aret, et nausea vomitusque permanent, aeger valde periclitatur: multoque magis, si cutis inaequaliter, sudoreque gelido et glutinoso, madet. Cui fere accedunt cibi fastidium, virium resolutio, spiritus celerior et difficilis, suspiria, singultus, et nervorum distentiones, is in praecipiti est. Mortem vero instare denunciant vultus pallens aut livens, fauces purpurascentes et exulceratae, papulae plumbeo colore instructae, maculae lividae circa artus prodeuntes, vox faucibus haerens, arteriae quasi trementes potius quam rite salientes, artus frigidi, et stercus urinaque, aegro

nesciente, profusa. Nonnullis ita affectis partes naturales et os gangraena corrupta sunt.

At vero, cute deflorescente, maximum adest periculi: pulmo enim eo laborant, ut vel homo stranguletur, vel, si natura proclivior sit, in dirissimam *phthisin pulmonalem* incidat, et inde pereat. Quidam, ob sanguinem tardissimo motu per pulmonem delatum, *hydrocephalo interno* absumuntur; maximeque infantes.

Quum oculi nunquam non initio plus minusve inflammantur, id malum saepe finitae *rubeolae* superest, vetustum et pertinax futurum. Struma imbuti prae caeteris malis secuturis patere comperti sunt. His non solum, ut supra proposui, lethalis exulceratio pulmonem corrumpit, verum etiam glandes *lymphaticae* et *mesentericae* intumescunt, et corpus lenta tabe et exitiosa febre *hectica* consumitur.

Denique, si *rubeola* aut vehemens aut maligna antecesserit, nimis saepe consequuntur alvi fluxus diuturnus futurus, et *dysenteria* vix medicabilis; et nonnullis *cuticula* crassior, quam fert natura, est facta.

QUAE SECTIS CORPORIBUS INSPICIUNTUR.

Rubeola, uti supra proposui, pulmonis officia nunquam non turbat; viscera quoque abdominis aliquando male habet. Membrana intima animae fistularum fere inflammatur, et haud secus atque summa cutis erubescere reperitur. Fauces interiores eandem sibi speciem saepe induunt. Nec raro omnes notae inflammationis praegressae propriae pulmoni insident.

Vatsonus, qui tam luculenter de *rubeola maligna* conscripsit, testatur, quasdam partes interiores gangraena vel sphacelo, ubi haec enecuerit, corrumpi solitas esse.

Denique, scire licet pene omnes membranas, quae apud medicos *mucosae* nominantur, praecipueque membranam intestinorum intimam, nonnunquam inflammationem incitatam subiisse inveniri. Quinetiam, nonnullis, quos ene-

cuit *rubeola*, praesertim struma imbutis, pulmo tuberculis obturari compertus est; iisque modo duris, modo exulceratis. Res sane est notissima plures ex iis, quos natura *phthisi* subeundae aptavit, ex *rubeola* in eam incidere; ob eandem corporis indolem, quibusdam glandes *mesentericae* duriores et grandiores quam ex consuetudine et subinde exulceratae prodierint.

DE CAUSA.

Ea, quae jam disserui, plura huc attinentia amplectuntur. Brevi igitur oratione hanc rei propositae partem absolvere potero.

Quoniam hic morbus haud aliter atque variola contagio per aëra volitante et oculos latente enascitur, non amplius semel fere eidem homini contingit, et cutem rubore sui proprio inficit, Homio eximio in mentem venit, necne ejus saevitia debellari posset, virus cuti incisae

inserendo, experiri. Cum vero papulae, quas rubeola gignit, non suppurant, hancce rationem ejus ciendae excogitavit. Sanguine icta vena aegrotanti detracto, filum gossipinum tinxit; quod deinde cuti inficiendi scalpello prius incisae subjecit. Quibusdam ita curatis, pulmo minus laborabat; sed apud hodiernos, nescio, qua de causa, obsolevit haec inoculatio *.

DE DIAGNOSI.

Duo cutis morbi potissimum rubeolam quadam ex parte simulare consuerunt, scilicet, *variola*, et *scarlatina*. Quae quibus indiciis ab hac discernerentur, quam brevissime potero ostendere conabor.

Variola. Hujus cum rubeola commune est subtili contagio disseminari; vix nisi semel ali-

* Vid. Medicinae Principia Homii.

quem inficere; et ut cutis et interiores membranae proprio rubore efflorescant, efficere. At vero plurimum interest. Vomitus et dolor circa ventriculum manu premente ingravescens jam ineunti *variolae*, necdum cuti affectae accedunt; rubeolae desunt. Illi die tertio post febris accessionem; huic quarto, vel paulo serius, papulae erumpunt. Illi gravedo, distillatio, tussis, oculi illachrymantes, sternutatio, aliaeque membranae pulmonis interioris inflammatae notae contingunt; huic aliquanto rarius. Quinetiam, illi febris nihilominus, rubente summa cute, saevit; huic eo tempore pene conquiescit. Denique, variolae papulae grandiores suppurant, et altas cicatrices relinquunt; et febris saepe maligna, vel *typhus*, subest: alteri, papulae nunquam pus concipiunt, in squamas furfuri similes abeunt, et febris plerumque ardentissima, rarissime maligna, accenditur.

Scarlatina. Uti permagni refert, ita quoquè saepe aliquanto difficilius est, *scarlatina* an *rubeola* aliquem implicet statuere. Tumor et rubor palpebrarum, oculi madidi et illachryman-

tes, tussis, aliaeque *catarrhi* notae scarlatinae deesse consueverunt ; angina vero *rubeolae*. Illi die secundo vultus et brachia efflorescunt ; huic vix ante diem tertium, pectus et mentum, et quarto quintove brachia et manus rubere incipiunt. Illi quam huic febris frequentius est maligna. Quem occupat *scarlatina*, ei rubor saturrimus ubique corporis aequalis prodit, sensim in maculas plurimas et amplissimas abiturus. Cui vero incumbit *rubeola*, huic cutis papulis minoribus, crebris, coloris minus laeti, et aliquanto summa cute altioribus, obtegitur. Eidem porro membrana mucosa plus erubescit, at colli glandes minus quam alteri intumescunt. Fauces inflammatione ad gangraenam propensa, scarlatina urgente, vitiantur ; *rubeola* autem rarissime. Denique, qua intercus illam saepissime, hanc perraro, excipere solet ; et huic decedenti frequenter, secus atque illi, superveniunt mala pulmonis dirissima : nimirum inflammatio, et pessima ista *phthisis pulmonalis*.

DE CURATIONE.

Hucusque absoluta re proposita, proximum est, ut ad medendi rationem transeam. E curatione rubeolae *vulgaris* incipiam. Quum ejus decursum in partes tres diduxi; in hac argumenti parte consideranda eandem distributionem sequar.

Duplice consilio curatio hujus morbi continetur; id vero est,

1. Cor et arterias incitata sedare.

2. Signa molesta lenire, praesertim, quae pulmonem aut alias partes interiores laborare denunciant. Quod remediis subjiciendis perfici poterit.

Inter initia igitur, cute nondum erubescente, alvum medicamentis lenioribus solicitare permagni intererit. Optima sunt, quae simul intestina satis vacuefaciunt, et corpus refrigerant, et vim cordis et arteriarum incitatam sedant;

qualia sunt sales medii. Vomitum quoque semel aut bis movere plurimum juvabit. Ventriculum enim sorde gravatum exonerat, omniaque secernenda et excernenda, praesertim sudorem et pulmonis halitum, elicit. Ad eundem finem, sudorem moventia concedere oportet; nimirum, *aquam acetitis ammoniae*, potus dilutiores, et *vinum tartritis antimonii*. Omnia irritamenta, cujuscunque generis, calor, lux, sonus, potus meracior, pejus angue et cane, vitari debent. Quaecunque genus nervosum sedant, frigore excepto, opitulantur. Frigus eo plane nocet, quod humores intus ad pulmones impellit, quo jamjam summo impetu confluxerint: nec minus exitiosus est aestus; quippe qui febrem accendit et acuit. Praestat temperies media, qualem gradus circiter sexagesimus instrumenti Farenheitani insignit. Fauces aqua *acido sulphurico*, *muriatico* aut *acetico* imbuta, gargarisandae sunt. Si notae pulmonis inflammati, aut *catarrhi* acerbiores opprimant, quam celerrime, vena brachii incisa, sanguis detrahendus est; et cutis circa os pectoris em-

plastro *meloës vesicatorii* exulceranda. Si aeger graviter deliret, et vultus praeter naturam turgeat, vasa capitis hirudinibus impositis deplenda sunt. Pedes aut totam summam cutem aqua tepida lavare maxime aegrum recreabit. Papulis jam demum prodeuntibus, iisdem auxiliis innitendum est, nisi quod ventriculus vix vomitu recte solicitatur. Si oculi multum inflammentur, lux arcenda est, et aqua *acetitem plumbi* dissolutum continente lavandi. Interdum paucae hirudines, at non proxime oculum, admovendae.

Nunc praesertim acuitur febris, et instat metus, ne partes interiores inflammentur. Mature igitur facto opus est; et nisi febris maligna adsit, quod equidem rarius fit, sanguinem, vena percussa, detrahere, procul dubio prudentis est medici. Non sane ignoro medicos non omnes de hac re idem sentire; nec medicina perpetua praecepta recipit: at vix dubitare licet, quin venae recte vacuefiant, quoties, cute laete rubente et incalescente, pulmo violenter laborat.

Quum tandem papulae in squamas abire inci-

piant, si febris paulatim decessura esse videatur, ipsa natura fit medicatrix, et auxilia medicinae perpauca desiderantur. Solum opus est notas molestas, si quae vexent, mulcere. Si homo noctu vigilat, aut male dormit, somni opio conciliandi sunt. Si os et fauces interiores exulcerentur, *sub-borate sodae* melle mixto gargarisandae sunt. Cibus dandus qui satis alat, viribus, modo concidant, succurrat, neque tamen calefaciat aut cor arteriasque incitet. Tepidarium valde proficiet, si quies nocturna denegetur.

Si vero, morbo pene finito, inflammatio pulmonis aut subesset, aut instare videatur, et arteriae simul crebrius, fortius et durius moventur, alvusque profluit, venas exinanire plane opus erit. Quinetiam, alvi fluxus quem prosequor, minime arte coerceri debebit, nisi diuturnitate vires plurimum fregerit. Membranae enim intestini intimae inflammatae debetur, et ipsa ad incitationem corporis devincendam operam confert. Si profecto eo processerit, ut vultus expallescat et

arteriae concidant, protinus opio et astringendi facultate praeditis cohibendus est.

De remediis in rubeolam *malignam* idoneis non silere oportet. Rubeola hac forma instructa perniciosissima est; et felix equidem existimandum est, eandem aliquanto rarius grassari. Summa peritia et acerrima observatione opus est; quam citissime enim ad exitum luctuosum inopinato properat.

Sanguinem hic detrahere fere est hominem jugulare. Vel exulcerantia parum tuto summae cuti adhibentur; propter enim vires languentes ulcus ita genitum persaepe in gangraenam praeceps ruit. Eam curationem, quae typho febrientibus convenit, sequi oportet. Alvus, praecipue initio, salibus mediis solvenda; vomitus eodem tempore nonnunquam prodest. Maxime vero iis praesidiis inniti oportet, quae erigendi, refocillandi et putredini occurrendi potestate donantur. Conclave in quo aeger habitat, perflatum accipere debet; squalor summa cura arcendus: aër circumfluus auris acidis imbuendus, quo deleantur contagium, et

alia nociva. Ex his maxime valent *acidum muriaticum*, et *aceticum* in sublime latum ; nec alienum erit uti *acido nitrico*, aut *sulphuroso*. Quo minus notae *typhi gravioris* propriae superveniant, vino rubro Lusitanico paulo largius uti oportet : quod si desit vis devorandi, ope fistulae idoneae ingerendum est. Hoc caeteris in eundem finem ministratis antecellit. *Opium*, *camphorae*, *moscho* et *carbonati ammoniae* adjunctum, quoniam potenti est incitamento, non praetermitti debet. Potui aptissima sunt omnes liquores *acido carbonico* saturi ; praesertim illa cerevisia fortior, quae vernaculo sermone 'Porter' nominatur. Denique, omnia quae exinaniunt, aut cor arteriasque sedant, summa ope fugere oportebit.

Si alvus profluat, finita rubeola, non protinus auxilium medicinae petendum. Hic enim fluxus modicus, et citra virium gravem resolutionem, juvat potius quam nocet : si acrior et diutinus sit, et cor arteriaeque concitantur, sanguinem mittere proderit. Vix enim dubitare licet, quin membrana intima intestini inflammata alvum ex

rubeola fundat. Quod si homo hoc malo graviter infirmatur, *opio, extracto mimosae catechu,* aliisque astringendo idoneis concessis, alvum contineri oportebit; nec morbi ipsius impetu subacto, homo fracto robore pereat.

Si sublata rubeola, tussis, dolor pectoris, vultus rubore florens, et *corpus struma* infectum, *phthisin pulmonalem* venturam augurentur, sanguinem parce emittere, emplastrum *meloës vesicatorii* imponere, et victum tenuem praecipere oportebit.

FINIS.